



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCI. Ioannis Papae VIII. Ad Photivm Patriarcham
Constantinopolitanvm. Photium patriarcham Constantinopolitanum
constituit, dummodo in Synodo veniam postulet. decernit ne deinceps
vllus e ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

·EPISTOLA CCL.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD PHOTIVM PATRIARCHAM
CONSTANTINOPOLITANVM.

Photium patriarcham Constantinopolitanum constituit, dummodo in Synodo veniam postulet. decernit ne deinceps ullus e laicis in eadem ecclesia statim episcopus ordinetur. iubet Bulgaricam diœcesin ecclesiæ Romanæ restitui.

Photio patriarchæ Constantinopolitano.

EXPERIENTIA tuæ prudentiæ literis pontificio nostro delatis satis vbertim comperta, altitonantem Dominum, piissimas ei grates agentes, laudauimus, qui postulatus dat omnibus sapientiam, & in domo faciens vnanimis habitare, saluat omnes in se sperantes, & protegit se in veritate quærentes, quique neque probos, reos, neque facit pios, tyrannos: tamen iuste iudicans, beatis quibuslibet æterna præmia, & infelicibus, reseruato interim pœnitudinis tempore, nisi resipuerint æterna confert supplicia. Prædictis quoque literis præconia nostra legentes, affectum tuum cognouimus, & quam sis nunc erga nos deuotus, satis euidenter reperimus: verum in quo nostra merita non suffragantur, Deo dimittimus; & in quo nos humanis laudibus quicumque mortalium eleuare conantur, fragilitatem naturæ nostræ cum summa formidine, eodem Deo præ oculis habito, contemplamur. Scimus enim, ipso dicente, *quia qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Matth. 23.

Hanc epistolam Photius locis infra notatis corrupit.

Quod dicitur autem, sanctam Constantinopolitanam ecclesiam in te conuenire, teque priuatam sedem recipere: missos vero nostros tecum minime consecrare: de adunatione omnium Deo gratias agimus; sed missis nostris ideo de hoc mandatum non dedimus, quia nil certitudinis, qualiter ipsa sedes haberet, antea comprobauimus. Nunc vero, sicut de pace & adunatione ipsius ecclesiæ valde gaudemus; ita & de dissensione nolentium acquiescere contristamur, quia * Salomone testante, *quasi peccatum ariolandi est.* 1. Reg. 15. *repugnare, & sicut genus idololatriæ nolle acquiescere.*
Concil. Tom. 24.

Gg

† Ista de cō-
fulenda se-
de aposto-
lica Photius
detruncavit
in sua tran-
slatione.

Verum † super receptione priuatæ sedis nos debuimus ante consuli. Tamen quia obeunte fratre & coepiscopo nostro Ignatio, te Constantinopolitano throno præsidere audiuius: tantum vt pax augeatur, & iurgia cessent, multimodas Deo gratias agimus. Tu autem omnium mentes demulcens, omnes paternis vlnis amplectere, omnes dispersos congregare non desinas, omnes colligere sollicitè stude; quia sicut sanctus papa Leo magnus scribit, sedis apostolicæ, inquiring, moderatio hanc temperantiam seruat, vt seuerius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis.

† Hæc de
misericor-
dia quæren-
da coram
Synodo,
abstulit
Photius, hic
& alias infe-
rius.

Et cum non sit reprehensibilis erga correctum quantacumque miseratio, si satisfaciens coram Synodo † misericordiam secundum consuetudinem postulaueris, ac si euidenti correctione utaris, & peritiæ non obliuiscens, nullius damna moliaris, quin potius auxilia eorum, qui tibi non velle consentire dicuntur, studiose dissolueris, eosque suis ecclesiis & honoribus restitueris: & si, quia spiritalis filius noster Basilius Christianissimus imperator apud nos pro te multis precibus interuenit, omnes vno voto, vno consensu & vna concordia in tua restitutione conueniant: veniam pro pace sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ tibi concedimus, communionem quoque & gradum, coram † Synodo misericordiam quærendo, nihilo minus reddimus, & vt sanctæ Constantinopolitanæ ecclesiæ præesse debeas, consentimus, ita tamen vt deinceps de laicis in eadem ecclesia episcopus contra sanctorum patrum statuta nullatenus ordinetur, & omnis illa mala consuetudo abinde penitus amputetur, iuxta capitulum quod super hac re in venerabili Synodo, tempore scilicet decessoris nostri Hadriani iunioris papæ Constantinopoli habita, est congruentissime promulgatum.

† Hæc qua-
tuor verba
itidem de-
curtauit
Photius.

Reliqua vero, quæ literæ tuæ a nobis fore censenda, expectando, dato commonitorio nostris legatis, Petro venerabili presbytero cardinali nostro, deliciosisque consiliariis nostris quædam scriptis, quædam autem verbis iniunximus, qui iuxta censuram nostri apostolatus instructi de omnibus, cuncta, Deo præ oculis habito, contemplantes, & admittenda vbi fas est admittere studeant, & corrigenda sub æquitatis libramine corrigant.

Præterea sicut vestra pars suum velle conatur accipere, ita & † nos diœcesin nostram Bulgariam, quam apostolica recordationis sanctissimi que domini papæ Nicolai certamine sedes apostolica recepit, ac Hadriani æque beatissimi præfulis tempore possederat, summa nobis celeritate restitui volumus, & de cetero omnem ordinationem ecclesiasticam ab ecclesiæ Constantinopolitanæ præfulibus in eadem diœcesi Bulgarica, auctoritate apostolica amputamus; ipsos autem ordinatos ibidem episcopos, & omnes alios inferioris ordinis clericos, vt inde se subtrahant, & ab inuasionem Bulgaricæ nostræ diœcesis se omnino compefcant, decertare procures. Quibus si tu aut pallium dederis, aut quamcumque illis ordinationem feceris, vel donec nobis obediant, cum eis communicaueris, pari excommunicatione cum eis teneberis annexus.

† Hæc de Bulgarica diœcesi detruncavit Photius omnino.

NOTA.

* *Epistola C CI.*] Hæc est altera quam a pontifice Ioanne VIII. acceptam Photius a se Græce translata, & ad perfidiam suam occultandam addendo, mutilando: subtrahendo & expungendo in Pseudosynodo sua octaua legi ac promulgari fecit.

Porro ille sciens quanta inesset in apostolicis literis auctoritas, lecturus cum esset eas in Synodo, ad persuadenda quæ vellet, addidit & abstulit pro arbitrio quæ sibi sunt visa. Quænam autem ista fuerint, ex recitatione ipsius epistolæ ex secunda eiusdem actione depromptæ, Latinitateque ab eodem Metio redditæ, satis intelliges. sic enim se habet.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei Photio sanctissimo fratri & comministro patriarchæ Constantinopolitanæ ecclesiæ.

SAPIENTIAM & prudentiam fraternitatis tuæ in tuis literis cum perspexerimus, instar † tonitruum cælitus missum Deo resonantem & omnes terminos terræ suo strepitu replentem, pias Deo gratias & excelsas laudes retulimus, qui omnibus petentibus iuxta eorum petitionem largitur sapientiam, & qui habitat in concordia domo, & fouet & protegit omnes qui in veritate spem suam in ipsum collocant: quia quique nec malos in finem reiicit, neque bonos vt in tyrannidem aliquam incidant, supra eorum vires permittit; sed potius iustitiæ æqualitate, ac iudiciorum æquilibrio omnes res humanas dirigit, & feliciter

† Photius versipellis hæc in laudem suam quod in Dei laudem Ioannes dixerat de altitonnante Deo.

Concil. Tom. 24.

Gg ij

ducit. Et beatus ille qui alacri animo, presenti tempore per poenitentiam lapsos erigit: in cælis enim iste thesauros sibi thesaurizat: hic etenim in hac felicitate permanens, fruetur sempiternis futuris bonis, cum reuelabitur futura gloria. Tuas itaque prædictas humanissimas literas cum accepissemus, & laudes nimias quibus nos exornas, & qua animi alacritate erga nos te habes, agnouimus, & quomodo pie & sane te geris: licet laudes quas nobis tribuis, longe a nobis absint. cum enim mortalem & mutabilem naturam nacti simus, non sunt laudes satis tutæ: & magno timore afficimur illius videlicet qui omnia videt, & omnia prospicit, tum occulta tum aperta, ne aliquo pacto aliter ab hominibus nos habiti, aliter in conspectu Dei reperiamur, & pro veris laudibus & optata gloria perpetuum dedecus lucremur. Sed hæc permittamus interea Deo, qui nouit omnia, & quem nihil nostrum latet. Nouimus enim ipsum

Matth. 23. dicere: *Qui se exaltat, humiliabitur.*

Scripsisti nobis, quod sanctissima Dei Constantinopolitana ecclesia in te recipiendo, concors & vnanimis facta est: & quod † sedem recepisti, quæ tua erat, & qua fueras orbatus. his de rebus de ecclesia videlicet, & de tua restitutione, qua es ad propriam sedem restitutus, Deo ex corde, & pro virili gratias agimus. Habebant etiam literæ pietatis tuæ quod nostri legati noluerunt quamprimum tibi comministrare. Et hoc factum dicimus, quia nondum illis permiseramus, vt ea facerent, quæ præceperamus. Si enim mandatum nostrum habuissent, nulla ipsis fuisset dubitatio, nec alicuius mœstitiæ causam pietati tuæ præbuisent. Nec nos satis certi eramus de fraternitate tua, quod ad tuam sedem te Deus restituisset, & iam ipsam obtinuisses: si enim hoc resciuissemus, misissemus procul dubio, vt par erat, gratulaturi tibi pro tuæ sedis receptione. † Ne igitur interea iniquo feras animo: quod enim antea defuit, iam ex superabundantia completum est.

Didicimus præterea, quod sunt inter vos nonnulli schismatici, qui non quiescunt, sed in vanum laborant, & certamen diabolicum certant, iuxta prophetam dicentem: Diuisi sunt contriti, vt euellant & evertant ad se nonnullos simpliciores. Et quemadmodum gauisi sumus pro tua restitutione, quam Deus operatus est, & vnione facta eccle-

† Tacet hic Photius quod de primata sede, nempe quam in Magna auctoritate crexerat viuentis Ignatio. •

† Aliqua addit, & detruncat aliqua, quæ superius notauimus de consulenda apostolica sede aliis.

fiæ: ita tristati sumus pro schismaticorum illorum interitu.

Tu † vero qui præstas sapientia & prudentia & gratia a Deo tibi largita, (quid enim habes quod non accepisti? & si accepisti, nouimus te non gloriari quasi non acceperis,) omnes tibi deuincire humanitate contendas eos, qui a te procul sunt segregati & dispersi, misericordiæ viscera illis aperiendo, & benignitate illos complectendo, simul congregare ne graueris: vt, quemadmodum sanctissimus papa Leo magnus scribit, eos qui quærunt humiliari in conspectu Dei, & vnionem vobiscum quærere, suscipiamus. Sicut econtra aduersus eos qui duro sunt corde, fortitudine & constantia & patientia illos vincamus, duritiæ etiam cordis illorum obstamus. Similiter illis qui pœnitentiam quærunt, quæ lapsos subleuat, manus adiutrices præbeamus. Non enim est desperatio pœnitentibus, & petentibus misericordiam non est confusio.

Quapropter fraternitatem tuam rogamus, vt Christi mores imitando, præcipue vero eius humilitatem quam sustinuit pro salute generis nostri, non te † pigeat in Synodo prædicare Dei erga te misericordiam & auxilium, nec non sanctissimæ Romanorum ecclesiæ protectionem & tutelam, & laborem, quem pro tua dilectione sustinuit, vt hoc pacto ædifices omnes pro communionem nostram & animorum nostrorum concordiam. Quandoquidem quæcumque ab illa petiisti, obtinuisti etiam. Et sicut illi mos est, vt omnibus qui iniuste patiuntur opem ferat, ita eius auxilio tu non caruisti, sed diuina ope & huius sanctæ sedis labore & studio ad sedem tuam es restitutus.

Quapropter rationi congruum duco, vt huius consueti auxilii nec non benignitatis, quam ipsis operibus singulis diebus experiris, de illa in omnem terram sonum emittere non obliuiscaris, sed etiam ipsam sequere, & instar illius nulli damnum inferas, nec aliquem a visceribus misericordiæ tuæ repellas. Si qui vsque adhuc vnionem cum tua pietate amplecti noluerunt, neque tecum conuenire, ne desistas, sed potius laborem & certamen sustine, cum docendo, tum etiam fermocinando, & longanimi admonitione, nec non alacri & beneuolo vultu, vt iuxta Apostolum, vel omnes vel plerisque lucrari studeas, & tibi conciliare; ac per te ipsi Deo accedentes, illos ad te, & per te ad Deum

Gg iij

† Ista de laudibus suis Photius addidit.

† Ioannes non ista habet, sed vt ipse misericordiam coram Synodo postulet. quæ Photius sustulit hic & inferius callide admodum.

fulcipere dignare. Sacerdotales etiam honores, & eorum ecclesias illis restitue.

Et quemadmodum spiritalis filius noster imperator Basilius pro te nos rogauit, & nos eius petitioni rationabili & iustæ & Deo gratæ obsequentes, fecimus cum tua pietate, quod imperator petierat: eodem pacto te rogamus, vt tu etiam obliuiscaris malorum quæ aduersus te commiserunt, qui a te fuerant abalienati. † Qui si reuertantur ex corde, tua pietas honore insignita apertis vlnis illos recipere dignetur, vt omnes feliciter consentientes, ad conuersionem & restitutionem tuæ sedis commune gaudium & diem festum & lætitiæ peragamus.

† Detrun-
cauit hic
iterum quæ
Ioannes ha-
bet in sua
epistola de
quærendo
miserico-
rdiam co-
ram Syno-
do.

Hoc etiam rogamus fraternitatem tuam, vt nobiscum decernas, vt in posterum nullus sæcularis ex tempore ad pontificalem sedem assumatur, sed secundum gradum & ordinem procedens, & proprium vnusquisque in suo gradu progressum virtutis ostendens, ita pontificalis sedis gradum obtineat. Qui enim aliter ascendit, ecclesiasticis nostris Canonibus contraria facit. Et volumus morem hunc, qui non est probandus, ab initio in vestra ecclesia inuentum, in posterum irritum abolere. Hoc † autem dicimus iuxta Canonem editum in Synodo tempore Hadriani sanctissimi papæ & Tarasii beatæ memoriæ patriarchæ Constantinopolitani.

† Hic falsarius & impostor astutissime conuertit ad Hadrianum primum quod dixit Ioannes de Hadriano II. satis expressse. Ac id ea de causa ab eo factum, quod per illa verba Ioannes probare se significaret Synodum octauam sub Hadriano habitam iuniori.
† De abrogatione Synodi contra Photium facta nihil penitus in literis Ioanni. appositum hæc impostor, vt quasi apo-

Synodum † vero contra pietatem tuam ibidem habitam irritauimus & annullauimus, imo & abiicimus, tum propter alia, tum etiam quod beatus papa Hadrianus prædecessor noster illi non subscripsit. Reliqua vero omnia de ecclesiasticis rebus quæ tua epistola nobis insinuauit, scribere omitimus, quoniam de illis in commonitorio scripsimus, cui etiam subscripsimus omnes pro tua restitutione, & illud Petro religiosissimo presbytero cardinali & legato nostro dedimus, quem misimus, & vna cum Eugenio & Paulo religiosissimis episcopis legatis nostris Dei timorem præ oculis habentes, & suam conscientiam immaculatam conseruantes, omnino vobiscum faciant, quæ vestra ecclesiæ conferre nouerint. Deus te conseruet vsque ad finem, dilecte frater reuerendissime & comminister noster.

Ecce tu iam vidisti, & conferens vtraque exemplaria cognouisti, lector, quo tandem progressa impostoris audacia, & ausa sit falsarii

animosa procacitas, vt tribus versibus istis ad epistolam Ioannis vltimo loco additis, tantam molem illam, œcumenicam, inquam, octauam Synodum, quam occidentis & orientis, pontifex & imperator vna cum episcopis & magistratibus tanto labore sunt conati erigere & stabilire, quantum in ipso fuerit, Photius mendaci stylo sit demolitus. Vt plane iterum repetendæ, quin & aliæ innumeræ sint agenda Deo gratiæ, quod ad tam immane periculum euitandum, & immanem scandalum anteuertendum, voluerit diuina prouidentia remanere integra exemplaria Ioannis epistolarum, vnicum remedium ad falsitatem hominis perditissimi arguendam & imposturam aperiendam. Quo nomine pariter, vt vidimus, & ipse de quo egimus, pontifex Nicolaus summas gratias Deo rependit, quod ad conuincendas falsitates eiusdem Photii in suis literis impudenter admixtas, earum exemplaria Romæ seruauerit, sic dicens in epistola ad Michaelem imperatorem: *Verumtamen nos quomodocumque falsitati vel deprauationi eadem sit epistola submissa, grates innumeras agimus Deo, cuius inspiratione & fidelia illius exemplaria penes nos retinuimus, & cuius permisso qui hæc vel authenticam ipsam scripsere, superesse noscuntur.* hæc ipse. Sed nos dupliciter Deo gratias rependere obligamur, & quod Ioannes, sicut & Nicolaus, missarum a se literarum excrisperit & retinuerit exemplaria, & quod eadem cum codice, quem regestum vocant, sint in hanc diem in Vaticana bibliotheca integra post tot naufragia Romanæ ecclesiæ conseruata; vt quod earum translatio facta per Photium fraudulenter posset argui falsitatis, cum in multis aliis, tum in iis, quæ operatus est ad demoliendam funditus œcumenicam octauam Synodum, tam quod citationem eiusdem Synodi octauæ sub Hadriano habitæ, qua conuincitur eam recipere & comprobare Ioannem, omnino erasit atque penitus aboleuit; quam etiam quod disertis verbis addiderit, ab eodem Ioanne pontifice iam illam prorsus damnatam, irritam, vt ait, ac nullam redditam esse.

In hoc ipsum enim totus incubuit homo profanus, vt aduersum se collectam œcumenicam Synodum, in qua cubitalibus literis, vt ita dixerim, eius scelera multipliciter notata essent, abolendam, extinguendamque penitus, vt nec nominaretur amplius, laboraret. Sed & quod sciretur testificatione historicorum Græcorum, tum Latinorum, octaua Synodus œcumenica celebrata esse Constantino poli: ipse eodem in loco haberi, eodemque quoque nomine appellari voluit suam Pseudosynodum, quam supponeret pro legitima octaua œcumenica habita per Hadrianum, vsus ad decipiendos omnes recitatis superius ad ipsum scriptis, sed ab ipso falsatis literis Ioannis papæ, ex quibus pariter detegas alias eiusdem nebulonis versutissimi imposturas. Quamuis enim idem Ioannes pontifex, tum in ipsa epistola ad Photium scripta, tum in recitata superius ad imperatorem citando dictam œcumenicam Synodum, vt dictum est, eam visus est comprobasse; & nihilo minus in additamentis Photii idem ipse eius damnator asseritur: non ista ipsi satis sunt visa, sed & ab illo

stolica sedis auctoritate damnaret, (quod postea idem fecit) octauam Synodum sub Hadriano habitam. Porro cum hæc impostor apposuit, decurtauit quæ in conditione apposita Ioannes habet de restituenda diœcesi Bulgarorum.

fallatum est commonitorium ab eodem pontifice datum Petro legato. De quo infra in notis Concilii Romani sub Ioanne VIII.

EPISTOLA CCII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CONSTANTINOPOLITANOS.

Iubet eos schismate sedato ad ecclesiæ vnitatem redire,
& Photio communicare.

*Eximiiis viris Ioanni, Leoni & Paulo patriciis, atque Stiliano,
Ioanni, & Metrophani reuerendissimis metropolitibus,
& ceteris sacerdotibus, seu cuiuscumque
ordinis clericis, seu laicis.*

Ioan. 21.

OMNIVM ecclesiarum Dei secundum Apostolum sollicitudinem habentes, & pastoris gregis dominici nobis in ipso apostolorum principe curam commissam gerentes, Domino dicente: *Si diligis me Simon Petre? pasce oves meas*, condolemus vobis: quoniam multis iam labentibus annis vsque ad præsens, in discordiæ diuisione, & in scandalorum perturbatione vos videmus promptos manere, nec per caritatis custodiam ad vnitatem ecclesiæ velle reuerti. Quam videlicet vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, Patris & Filii fidem non tenet, vitam non tenet, nec salutem. Hoc denique vnitatis sacramentum, hoc concordiæ vinculum inseparabiliter cohærens ostenditur, quando in euangelio tunica Domini nostri Iesu Christi non diuiditur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi quis potius Christum indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta, atque indiuisa tunica possidetur. Possidere enim non potest indumentum Christi, qui scindit & diuidit ecclesiam Christi. Quis ergo sic sceleratus, & perfidus? Quis sic discordiæ furore vesanus? Quis aut credat scindi posse, aut audeat scindere vnitatem Dei? vestem Domini? ecclesiam Christi? Monet ipse

Ioan. 16.

1. Cor. 1.

in euangelio suo dicens: *Et erit vnus grex, & vnus pastor.* Apostolus autem Paulus hanc eandem nobis insinuans vnitatem, hortatur dicens: *Obsecro vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.*